



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Vigesimus Secundus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

112 MODVS VIGESIMVS SECVN.

Itidem corrumpit. Magnificat, occinitur, ubi Deus
& DEIficatio intercedit : & quidem Magnificat
anima, non lingua, non labium. In spiritu enim
& veritate adoratur Dominus, cui perpetua ac in-
desinens laus debetur in saecula,



MODUS VIGESIMUS
SECUNDUS.

PRæfixa themati propositione, totum aut ferè
totum Evangelium ad illam propositionem
revocatur, quæ & si secundum se videatur singula-
ris: totius tamen Evangelii doctrinas comprehen-
dat E. G.

Dominica 5. à Pentecost. Matth. 5. dicturus su-
pra illa verba. *Nisi abundaverit justitia vestra, plus*
quam scribarum, aut Pharisaorum &c. posset pro-
ponere, inquisiturum se; quænam sit hæc abundan-
tia, à nobis per Christum requisita, & responderet
ex Evangelio 1. *Esse illam, quæ non ad sola facta,*
sed & ad cognitionum custodiam, se extendit. Nam
sicut Dominus, *dictum est antiquis non occides &c.* Ego
autem dico vobis *quia omnis qui irascitur fratri suo,*
reus erit iudicio 2. *Esse illam, quæ se extendat, ad*
Custodiam verborum. *Qui dixerit fratri suo,*
Raca &c. 3. *Esse illam, quæ se extendit ad ope-*
ra liberalia, per quæ læsi lædentes prævenimus, quia
dicitur: Si frater habet aliquid aduersum te, relin-
que

L.
Deus
ficat
nim
c in-

MODUS VIGESIM. SECUNDUS. n^o

*que ibi munus tuum ante altare, & atque hac ratio-
ne totum Evangelium, sub dicta propositione, ex-
plicaretur.*

P R A X I S.

In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Remittuntur tibi peccata tua Luc. 7.

Acceſſus & propositio, Nemo est nostrum, du-
bioprocul, qui non cum magna animi dele-
tatione, fortunatam hanc servatoris sententiam,
Magdalenæ gratuletur. *Remittuntur tibi peccata
tua, & nemo est, qui non sibi similem opteret.* Eve-
niet omnino cuilibet, cui vera pænitentia, obvenie-
rit. Ne igitur nos fraudemus die bono, & spe o-
ptima, inquiramus hoc sermone, quid sit verè pæ-
nitere; & hoc exemplo Magdalenæ perdiscamus.

Confirmatio debet constare sparsis in Ev-
angelio exemplis. Pænitentis Magdalenæ.

Quid itaque est verè pænitere. Ideò primò
verè Pænitere, est mox atque à Deo te vocari sentis,
ad eum, à peccatis converti. *Hodie si vocem ejus
audieritis nolite obdurare corda vostra.* Monet Psal.
94. Christus de sepulchro mane diluculo, ita pec-
cator de peccati tumulo. Procul in faustum cras,
procul dilationes. Ita egisse, D. Magdalenam,
notant illa verba Evangelii. *Et ecce mulier, qua erat
in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisse, at-
tulit alabastrum unguenti.* Non distulit nec præten-

H dit

114 MODUS VIGESIMUS SE CVND.
dit occasionis incommoditates, sed ut cognovit de
Christo, confessim se ad illum placandum prori-
puit. Heu quā facile hic decipimur: paululū inqui-
sapiens Prov. 6.10. dormies, paululū dormitabis, pau-
lulū conseres manū, ut dormias, & veniet quasi viator
egestas. Hinc de latrone quoq; in cruce conversus.
Cyril. apud Garc. dis. xcvi. 13. Rogo te, in finem vnu-
protrahis pænitentiam ad exemplum latronis? Falleni
frater. Nam latro non in fine, sed in principio est con-
versus, nam tunc venit, cum vocatus fuit,

Quid rursus est verè Pænitere? Respondeo,
verè pænitere, est ita peccatum detestari, ut omnia
impedimenta conversionis, & omnes respectus ab
eo avocantes, ex nunc damnentur, & pervincan-
tur. Id item apparet, in Exemplo Magdalena, de
qua D. Greg. hom. 33. *Super convivantes ingressa
est, non iussa venit, inter epulas, non erubescit.* Quis
dubitet obstitisse illi fervori conversionis, vere-
cundiam muliebrem, malorum amicorum occur-
rentia blandimenta, voluptatum & carnis pavores,
hominum ostentationes ac irrisiones, pænitentia
agendæ rigorem. Vicit hæc omnia Magdalena, &
pænitentibus verè prælusit, ut omnia discant præ
DEO contemnere: opes, amicitias, voluptates,
humana judicia, ipsiusq; vitæ pericula: genero lo-
illo & Christiano animo, cuius etiam exemplum
pulcherrimum proponit nobis D. Nazian. infama-
toria prima in Julianum, in nonnullis Christianis;
qui donativum à Juliano accipientes, thus adole-
verant: ignari fraudis, qua illud, in ignem injice-
re jussi. Hi deinde à domesticis moniti, cum dor-
lum advertissent, primum attoniti, mox zelo can-
descen-

D.
rit
cor
iqu
pau
ialor
soD.
viii
llerv
con
leo,
nnia
isab
can
e, de
ress
Quis
ere
cur
ores
ntia
ia,&
pra
tes,
rolo
lumi
ma
nis;
ole
ice
do
an
ren

MODUS VIGESIMUS SECUND. 115

descentes, ac per forum discurrentes, clamabant. Christiani, Christiani animo sumus. Audiat omnis homo & præ omnibus, Deus cui vivimus & mori- turi sumus. Imperator nobis imposuit, cuius auro su- mus vulnerati. Emendabimus Imperatorem, san- guine expurgabimus. Mox ad Imperatorem con- versi. Non dona Imperator accepimus, sed morti sa- mus adjudicati: non honoris causa sumus vocati, sed plane ignominia donati. Gratiam tuis concede mi- litibus Christo consignatis, enjus solius subsumus impe- rio. Pro igne ignem retribue, pro cinere illo, in cine- rem nos redigo, manus quas male porrexiimus de- truncato, nec non pedes quibus perversè cucurrimus. Alios auro tuo honora, quos accepisse non pænitent, no- bis satis est Christus. O generosa Pectora! O paucis cognitam pænitentiam! Hoc demum est pænitere, omnia præ DEO contemnere.

Quid tamen insuper est verè pænitere? Re- spondeo verè pænitere, est post animum sincerè ad Deum conversum, post omnia pænitentia im- pedimenta sublata, post omnes respectus huma- nos contemptos, post lacrymarum maria effusa, se indignum gratiâ DEI judicare. Egregie: Salvianus describens pænitentiam Davidis lib. 2. de guber. Agnoscit reus culpm, humiliatur, compungitur, con- fitetur, luget, pænitet, gemmas regias abdicat, crepan- tia auro textili indumenta deponit, purpura exui- tur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur, totum Regem cum ornatu suo abjicit. Quid inde? quis animus, quæ confidentia virtutis Davidi? Clamas sapius ac præsertim Psalm 50. Averte faciem tuam à peccatis meis. Tibi soli peccavi.

H 2 Pecta-

116 MODUS VIGESIMVS SECUND.

Peccatum meum contra me est semper, & alibi multies. Sic pænitere, est verè pænitere, sic pænituisse hodie censenda D. Magdalena, quæ post tantam insignem conversionem, in qua juxta D. Greg. in Luc. 7. Quot in se habuit oblectamenta, tot de se, invenerit holocausta; indignam tamen se gratia & aspergente Domini sui judicavit, ideoque stans retrò secundum pedes ejus, Lacrymis cæpit rigare pedes ejus. O Magdalis? O peccatrix piissima? Quid ita parum audes? Nunquid adhuc ignoras, quem placas? Hic est, Pater ille amantissimus, qui filio ad se conversus, pectus, non pedes obtulit, hic servator, ille benignissimus, in cuius pectore Joannes, hoc est gratia, quam tu per remissionem peccatorum es asecura, recumbit. Cede nobis peccatoribus pedestribi pectus, tibivultus, tibi labia dilecti patentes. Frustra cadunt verba, & pedes petit, & à retro tamquam indigna petit. Ubi sunt illi impudentes, ubi illi pænitentes? qui nihil obstare, quod minus ipsi Deo assistant, aut assideant, dum modo leviter peccatus tangant, dum os aperiant, existimant. Non est hæc, non est, verè pœnitentia. Vera pœnitentia semper humilis est, semperque locum illum querit, in quo Magdalena peccatrix, meliori forte, quam mulier Ruth ad pedes Booz, mulier virtutis apparuit.

Quid denique est verè pænitere? Respondeo. Pœnitentiam inchoatam constanter retinere, & peccata quorum etiam venia certa est, continuo plangere. Ita egit Magdalena de qua ipse servator. Osculum mihi non dedisti, hac autem non cessaverunt osculari pedes meos, inter lacrymas scilicet, & continuo

tinutos planetus. Unde, & à Christi resurrectione rigidissimam pænitentis vitam, in Eremo ad mortem egit: quamvis ter in singulos dies, Angelicis cantibus recrearetur. Placet inventio pictorum, quâ passim, D. Petro gallum occidentem appingunt, & Magdalena non aliter, quam ad pedes Christi crucifixi, aut inter pænitentiæ insignia, cilicia, disciplinas statuunt. Monemur inde, ut si quis cum Petro, Christum aliquando negavit, semper ab inde, gallum, admissum crimen exprobrantem obaudiat: & quanquam claves regni cælorum, in manibus collocatæ videantur, lacrymas tamen fundere continuas non desinat. Monemur pariter, ut si quis cum Magdalena deliquit, à pedibus Christi nunquam recedat, pænitentiam nunquam deferat. Sed illud Psal. 6. gemebundus iteret. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis, stratum meum rigo.* Hebr. legunt. *Fatigatus sum gemendo, & suspirando totas noctes: lacrymis meis stratum meum immergam seu natare faciam.* Propriè, putrefaciam, dissolvam. Super quæ D. Chrysost. Homilia 32. in Epist. ad Hæbr. *Quod una die, admissum fuerat peccatum, post tot annos, post tot generationes, tanquam quod recens accidisset, deslebat.* Sic pænitere, est verè pænitere. Sic Magdalena pænituit. Sic pænitere debent, qui remissionem peccatorum expectant. Cæterum inquit Bernar. Ser. 3. in Cant. *Si dixerit mihi IESUS: Remittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desero, quid proderit? imò ut addit idem. Erit sine dubio, recidenti quam cadenti pejus.*